

CHRISTIANI THEOPHILI
KRATZENSTEINII

MEDICINAE DOCTORIS, PROFESSORIS PHYSICES PU-
BLICI ORDINARI IN UNIVERSITATE HAFNIENSI,
ACADEMIAE SCIENTIARUM IMPERIALIS PE-
TROPOLITANA MEMBRI,

T E N T A M E N

RESOLVENDI PROBLEMA AB ACADEMIA SCIEN-
TIARUM IMPERIALI PETROPOLITANA AD AN-
NUM 1780 PUBLICE PROPOSITUM.

- 1) *Qualis sit natura et character sonorum litterarum vocalium a, e, i, o, u tam insigniter inter se diversorum.*
 - 2) *Annon construi queant instrumenta ordini tuborum organi-
corum, sub termino vocis humanae noto, similia, quae
litterarum vocalium a, e, i, o, u, sonos exprimant.*
-
-

In
Publico Academiae Conventu
die XIX. Septembris MDCCCLXXX.

Praemio coronatum

Plus ultra.

P E T R O P O L I
T Y P I S A C A D E M I A E S C I E N T I A R V M
M D C C L X X X I .

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b2237274x>



TENTAMEN

resolvendi problema ab Illustri Academia Imperiali scientiarum Petropolitana ad annum 1780 publice propositum. Scilicet:

- 1) *Qualis sit natura et character sonorum litterarum vocalium a, e, i, o, u, tam insigniter inter se diversorum.*
- 2) *Annon construi queant instrumenta ordini tuborum organicorum, sub termino vocis humanae noto, similia, quae litterarum vocalium a, e, i, o, u, sonos exprimant.*

P A R S P R I M A

de

Genesi vocalium

§. I.

Ut de natura et charactere vocalium distinctam et completam nobis formare possimus ideam, primum
A 2 organa



organa erunt examinanda, quorum beneficio formantur, deinde modificationes horum organorum ad enunciandas singulas vocales requisitae exponendae erunt. Denique differentias pulsuum vel undulationum aëris inde productas eruere debebimus, quibus nervus auditorius in adeo specificum motum tremulum concitari possit, ut ipsi idea singularis vocalis in anima respondeat.

§. 2.

Organa loquelae adeo nota et a variis anatomicis adeo accurate descripta sunt, ut eorum expositio pro superfluo negotio reputari possit. Ordinis gratia tamen eorum brevem exhibebimus sciographiam. Scilicet

1. Thorax subsidio 24 musculorum intercostalium et diaphragmatis modo dilatatus modo coarctatus officium follis exercet, aërem per arteriam asperam alternatim in pulmones inspirando et inde exspirando. Dilatato enim thorace aër in vesiculis pulmonum simul dilatatus et rarefactus aëris externi inspirationem exposcit, ut aequilibrium restituatur. Inspiratus aër, postquam exhalationibus vasorum pulmonalium humidis, salinis et phlogisticis plus minus saturatus est, nervos irritando musculos ad exspirationem sollicitat.

2. Arteria aspera, fistulam hujus follis animalis sistens, anterius cartilaginea et elastica, posterius mol-

lis

lis et membranacea, innumerar. quasi radices vel bronchos per pulmone distribuens, in extremitate faucium capite terminatur, sc. larynge, elastico, concavo, ex quinque cartilaginibus artificiosissime composito, quarum suprema, epiglottis, orificium laryngis retrorsum hians, glottidem externam, valvulae instar pro lubitu claudit vel aperit.

3. Epiglottis, in loco connexionis sua cum larynge simul cum lingua connexa, valvulam sistit parum concavam, parabolicam, cuius ordinata vel basis linguam, cavitas pulmone respicit, procul dubio, ut convexitate sua extrorsum versa pressioni transeuntis cibi et potus eo certius resistere possit, imo ut major elasticitas pro tonis acutioribus formandis ipsi concilietur.

4. In interna cavitate infra medium laryngis inter cartilaginem thyroideam et arytenoideas extenduntur duo ligamenta robusta, elastica, instar membranae tympani, per medium sectae, rimam formantia, quae cum externa glottide angulum facit rectum et glottis interna vel vera dicitur. Haec ligamenta sunt Cl: Ferreinii chordae musicae, aeris affluet ad sonum edendum incitandae. Ipsa rima in adultis 8 vel 10" longa et 1" lata est.

5. Ut laryngis subsidio vox pro lubitu modificari et moderari queat, ejus ambitus septem paribus mus-

culorum instructus est, quorum 4 paria glottidem dilatant, 3 paria eandem coarctant. Unum par ex prioribus laryngem simul deorsum trahit, unum ex posterioribus eundem simul elevat. Nomina horum musculorum hic recensere superfluum foret.

6. Actio horum muscularum admodum intricata arbitrio animae subjicitur beneficio plurimorum ramulorum nerveorum, venas muscularum constringendo, et sanguinem refluum cohibendo eos ad actionem incitantium. Horum inferiores recurrentibus e thorace a pari vago debentur, superiores ex eodem pari vago descendente accedunt. Aliquos ramulos intercostalis nervus praecedentibus immiscet. Ita quidem vocis excitatio et modificatio cum motu cordis et oculorum proprius, quam intermedio cerebro, connectitur, et influxus eorum mutuus facilitatur. Alias connexiones transeo. Nervis hisce paralyticis factis (quod a fumo arsenici accidisse scio) aphoniam exoritur.

7. Internam laryngis cavitatem investit membrana glandulosa, mucum pro humectando et laevigando hoc organo porrigens. Quodsi hae glandulae obstruantur vel acriorem humorem effundant, vox rauca devenit vel tussis excitatur.

8. Porro ad vocis perfectiores modificationes requiritur lingua, quae modo se elevando viam aëri sonoro sub palato plus minus angustam concedit, modo

modo dentibus vel maxillis adplicata exitum ejusdem ex ore coarctat. Lingua praecisa vel morbo exesa, loquela, nisi plane perit, imperfectior tamen et difficilior redditur, musculis forsan sublingualibus vel ejus radice vices integræ aliquatenus subeuntibus.

9. Occurunt deinde in hoc organo dentes, quorum integritas et conveniens intervallum, praecipue anteriorum, non parum ad perfectionem et elegantiam loquelae conferunt, aërem sonorum per plus vel minus angustam viam transmittendo. Quibus labia sunt crassiora, carnosa, illi hisce aliquo modo vitium loquelae ex lacunis dentium resultans corrigere valent, quibus vero tenuia et curta sunt labia, illis ruina dentium anteriorum loquendo magis nocet, praecipue f, f, i, pronunciando,

10. Multo magis vero labiorum actio ad pronunciandas litteras non paucas exigitur, siquidem illis deficientibus vocales, o, u, et consonantes b, f, m, p, q, v, w, enunciari non possunt. Modificant vero labia aërem sonorum, modo intervallo suo, modo coarctatione sua in plus vel minus angustum foramen, modo eum comprimendo et subito emittendo.

11. Denique uvula, vel valvula muscularis palati, inter fauces et nares, non exiguum in formanda loquela praestat operam, modo praecludendo viam aëri sonoro ad nares, modo eandem aperiendo. Quibus uvula

uvula exesa , vel labium leporinum in fauces usque hians , hi varias voces ingratissimo et confuso modo pronunciant , quae compressionem aliquam aëris præviam in ore exposcunt e , g , p , t , k . Huic tamen vitio valvula artificiali succurrere licet.

A prolixiori horum organorum descriptione facile abstineo , partim , ne anatomiam organorum loquelae conscripsisse videar , partim , quia eadem ad genesis vocalium exponendam parum conferre posset.

§. 3.

Hisce organis bene conformatis instruētus infans , alios sibi similes articulatas voces edere audiens , idem artificium imitari studens , successive thoracis , laryngis et oris varios incitat musculos (instar musicastrī varios organi musici claves tentantis , donec desideratus resultat tonus) , tentans , cuius actione imitatio succedat ; hanc actionem repetens denique habitum adquirit desideratas voces producendi . Ita quidem artificium loquendi absolvi novi ex operario quodam juvēne , propter apostema in auribus latens a nativitate surdo , adeoque etiam muto , qui apostemate demum anno aetatis 16^{mo} sponte soluto et evacuato sensim auditus sensum acquirebat , auditas voces submissè imitari tentabat , et denique exercitio suo confidens subito clara voce loqui incipiebat , omnibus domesticis id admirantibus . Neque alio modo artificium singula corporis membra mo-

movendi succedit. Ad infantorum actiones attendens non raro observabit, eos brachium et manus ad aliquam rem capiendam extenderentes saepius erroneam ingredi viam, donec post varia frustra suscepta tentamina rectam inveniant. Inde fit, ut habitu semel adquisito cum infantili aetate etiam memoria ejus ineptiae nostrae ad membra corporis nostri pro arbitrio movenda in nobis pereat, nosque ignorare credamus, nos in varios illos musculos convenienter agere. Diuturnus vero ille habitus conscientiam nostram ejus actionis successive adeo obscuravit, ut nil nisi conscientia voluntatis nostrae actionem istam producendi in nobis, et nostro quidem cum emolumento, restiterit. Adulti agimus in corpus nostrum simili modo ac coecus a nativitate organedus in organum agit musicum, cuius structuram ignorat, sed musicam in eodem pro arbitrio producere per tentamina repetita didicit, ignorans ceterum se actione sua voluntaria varios vectes movere, valvulas aperire et ita ventum fistulis immittere, nisi hoc ex anatomia tactu didicerit. Haec autem in transitu.

§. 4.

Quomodo per organum loquelae singulæ vocales et consonantes efformentur, primus, quantum ego quidem scio, maximam partem exposuit Clarissimus Jo. Conr. Ammannus in utilissimo de loquela opusculo. In hoc pag. 62. de formatione vocalium cl. Auctor ita loquitur:

1. Vocales sunt vox diversa tantum oris apertura modificata. (a.)

2. A est vocalis gutturalis, quae vario quidem linguae situ pronuntiari potest, sed maxime conveniens est, ut sit in situ quietis, blande in ore exorrecta, dentiumque marginem inferiorem vel non vel leviter tantum attingat, ita, ut ore aperto vox in gutture formata nec ad dentes, nec ad labia notabiliter impingat, ita enim *a* apertum audietur.

3. E, i, ī, y sunt vocales dentales: In his enim enuntiandis vox ad dentes magis minusve allidit, hinc infantes edentuli illas pronunciari nequeunt, donec saltem incisorios habeant. (ē).

4. E formatur, dum vox leniter diductis labiis ad dentes modice diductos impingit, linguae autem pars anterior utrinque caninis inferioribus aliquantulum obnittitur, media pars in gibbum elevata palato proprius admovetur, quam fit pronunciando *a*.

5. I eodem fere formatur modo, quo e; sed vel dentes magis stringendo, vel linguae gibbum magis elevando, vel utroque (*y*) vocis meatus redditur angustior, unde sonus quoque redditur acutior. (δ)

6. O, u et w sunt vocales labiales (ε), quippe vario labiorum situ efformatae. O et u tantumdem inter-

ter se differunt, quam e et i. Formantur scilicet o et u, cum dentes et lingua eundem, quem in a, situm servant, labia autem magis vel minus contrahuntur; in priori casu u, in posteriori o emergit. Haec de formatione vocalium Ammannus.

§. 5.

In primo ejusmodi tentamine merito expectare non possumus, omnia momenta ad amissim naturae respondere; sufficere nobis debet, eo facto viam ulterius progrediendi nobis fuisse apertam. Quae itaque mihi respectu hujus phonogeniae monenda esse videntur, paucis exponam; scilicet:

α. In definitione vocalium formanda cum Cl: Ammanno consentit quidem. Ill. Hallerus, praeterea expresse affirmans, vocales formari absque linguae allisione ad ullam partem oris; sed ex ipsa hac expositione Ammaniana liquet, vocales e et i non sola oris debita apertura formari, sed quoque linguae ad dentes applicatione ejusque in arcum elevatione; haec posterior praecipue magis necessaria, quam certa oris apertura est. E et i enim satis clare pronunciari possunt, labiis licet manu late deductis et pollice vel baculo dentibus interposito, dummodo lingua debite elevertur. Mutetur itaque haec definitio in sequentem: vocales sunt voces diversa oris apertura et linguae elevatione solummodo modificatae.

β. Ex praecedenti nota liqueti e et i non tam esse vocales dentales, quam linguales. Et infantes edentuli clamando ae et ejulando, utramque vocalem, licet sub forma diphthongi edunt, inde enim ejulatio nomen accepit.

γ. Lingua in pronunciatione vocalis i necessario et proxime ad palatum elevanda est, dentium constrictio sola sane non sufficit, sed tantum facilitat formationem vocalis i.

δ. Sonus plane non fit acutior, dum linguae elevatione et dentium constrictione vocis meatus redditur angustior. I enim tam sub gravi, quam sub acuto tono pronunciari potest. Acumen et gravitas vocis modificationibus laryngis debentur.

ε. O et u non unice labiorum contractione producuntur; sed quoque aliqua linguae mutatione, in sequentibus exponenda.

§ 6.

Ego quidem nunquam occupatus fui in mutis loquacibus reddendis, ut Cl: Ammannus, nec in statua eburnea in vitam vocanda, ut Pigmalion, sed ex plurimis jam annis in paucis meis horis subsecivis interdum oecupatus fui in construenda machina, quae loquelam humanam imitari valeret, et instar instrumenti musici

musici digitis ad loquendum incitari posset, Hanc intentionem vero accuratius studium mechanismi loquelae exigere, quam intentionem, mutos loqueland docendi, quorum organa singula in statu perfecto jam adsunt, demonstratione non indiget. Nec studium meum fuit plane frustraneum, plurimas enim syllabas mea machina satis distinete pronunciat, tantum non omnes. Quas in hoc examine observavi organi humani loquelae modificationes, ut singulae vocales producantur, nunc tam distinete, quam id viribus meis licet, expositurus sum.

§ 7.

In hoc examine difficillimum, nec plane absolvendum occurrit negotium, mutationes laryngis detegere. Licet enim exterius pollice et indice pomum Adami comprehendatur, vel indice apex articulationi epiglottidis cum larynge imponatur, inter enunciationem singularum vocalium non nisi mutatio exigua partis anterioris laryngis, non vero posterioris tactui se prodit, cum tamen partis posterioris variationem cognoscere, qualem scilicet relationem limbis laryngis ad epiglottidem in quovis casu habeat, multo magis juvare posset. Praecipue vocalis magnam partem formationis suae singulari dispositioni laryngis, haec tenus nobis ignota, debere videtur sub ejus enim enunciatione major mutatio in margine laryngis percipitur, quam in reliquarum. Praeter vocalem i etiam vocalis u, sed paullo minorem partem formationis suae singulari dispositioni laryngis.

laryngis, priori simili, debere videtur, ita ut non nisi labiorum coarctatio et linguae depresso vocalem i mutet in u. Similitudo vero dispositionis laryngis in utriusque enunciatione tactu percipitur. In enunciatione vocalium a, e et o, non nisi apertura epiglottidis se manifestat. Fieri autem potest, ut in variis hominibus etiam non nihil differens organorum mutatio pro vocalibus enunciandis requiratur.

§ 8.

Vox, vi glottidis internae formari coepit, ex organo loquelae egressura per 4 quasi portas transire cogitur. Primam sistit glottis externa, epiglottide plus minusve claudenda, altera inter palatum et linguae dorsum occurrit, hujus elevatione varia plus minus patula. Tertiam dentium et quartam labiorum intervallum sustent. In nasalibus litteris quidem loco posteriorum duarum quinta porta, uvula scilicet, voci patula redditur. Vocales vero hanc viam in sano organo non legunt. Ad generalcs quoque in pronunciatione vocalium observationes pertinet, aërem, dum sine praevia consonante vocalem edere volumus, primum in trachea epiglottide clausa non nihil comprimi, et tum demum emitti; nisi haec compressio vel per se, vel in praevia consonante praecedet, a, e, i, o, u mutatur in ha, he, hi, ho, hu. His praemissis ex observationibus specialibus sequentem composui tabulam.

§. 9.

§ 9.

Dispositio organorum loquelae in singulis vocalibus enunciandis.

	Larynx	Lingua	Apertura viae palatin.	Apertura dentium.	Apertura labiorum.
A.	Latera ejus parum deprimuntur et dilatantur. Epiglottis parum elevatur.	Apex ad radices dentium maxillae inferioris. Dorsum nonnihil elevatum.	$\frac{2}{7}''$	$\frac{1}{2}''$	alt 5''. lat. 18''
E.	Articulatio epiglotidis parum elevatur et retrorsum trahitur.	Apex ad aciem dentium inferiorum. Dorsum magis elevatum.	$\frac{1}{3}''$	$\frac{1}{6}''$	4''. 18''.
I.	Eadem mutatio sed major, articulatio- nis major compla- natio, epiglottide et limbo glottidis magis elevatis.	Apex ad medium dentium superio- rum et inferiorum, vel parum int. dent. elevatum. Apex canaliculum format vocem transmitteus	$\frac{1}{6}''$	$\frac{1}{12}''$	2''. 18''.
O.	Eadem mutatio fe- re, quae in A.	Idem fere situs, qui in A, ad $\frac{1}{6}''$ magis retractus et elevatus.	$\frac{1}{2}''$	$\frac{5}{12}''$	$3\frac{1}{2}''$. 8''.
U.	Apertura Epiglottis et complanatio articulationis paulo minor quam in I. sine notabili eleva- tione.	Apex paulo magis quam in O. a den- tibus inferioribus retractus. Dorsum in parte postica magis ele- vatum.	$\frac{1}{3}''$ ad $\frac{5}{12}''$	$\frac{1}{8}''$	$2\frac{1}{2}''$. 5''.

§ IO.

Hae dimensiones non omnes pro rigorosis habenda sunt. Minime omnium intervallum dentium, bacillo enim 9["] ipsis interposito a, o, u satis bene, e difficilius, i difficillime succedunt; bacillo 2["] labiis interposito a, e, i bene, minus o, minime u succidunt. Unde liquet, dispositiones illas singulorum organorum non omnes esse aequae necessarias: Ore clauso et aëre per valvulam palatinam emissso singularis syllaba exoritur, circiter ex h et vocali constans, quae nomen nondum adepta est, sed pro certa specie admirationis indicanda enunciatur, et idem significat, quod latinorum hem! Forsan autem haec vox est sola h, vel graecorum spiritus asper, ore clauso in vocalem, ore aperto in consonantem abiens.

§ II.

Exposita organorum dispositione in enunciatione singularum vocalium, exponendum erit, quomodo generaliter aër ex trachea exspiratus in aërem sonorum vel sonum convertatur. Varia autem est physiologorum hac de re sententia. Antiquiores arteriam asperam comparabant cum tubo fistulae dulcis, laryngem cum orificio ejus; quasi loquens aërem ex atmosphera in pulmones inspiraret (licet non plane impossibile sit inspirando loqui) (*) et fistula resonaret, aëre per tubum

(*) Ego ipse inspirando loqui possum, exceptis consonantibus c, r, s, x, z, forsan exercitio accidente et hae pronunciari possent.

bum versus orificio immisso. Cl. Dodart Commentariis Parisinis tres dissertationes inseruit, ad nauseam usque prolixas, in quibus plurimis rationibus, sed parum firmis, evincere studet, glottidem esse princeps loquelae organum, et varios tonos per plus minusve coarctatam glottidem produci. De epiglottide in ipsius theoria ne nomen quidem occurrit, quasi non existeret; in alterius viri theoria vero recensenda epiglottidis unica sit mentio. Negat praeterea Dodartus, hanc humanam fistulam ulli instrumento musicō esse similem, ne quidem illi, quod fistula gingrina (praevio Solino) vocatur (germanice: Schnarrwerck, Rohrwerck; gallice, jeux d'anches, cuius vox humana organorum pneumaticorum species est. Unicam gingrinam chartaceam (Papier-Scharrwerck) aliquam, sed parum completam analogiam cum glottide habere concedit. Nec nisi in uno vel duobus locis Dodartus vibrationum vel pulsuum laterum glottidis mentionem facit ad tonorum formationem pertinentium. Totum fere reliquum opus consistit in expositione admiranda virtutis hujus glottidis, per fere innumeros et quasi infinite parvos gradus contractionis suae ingentem numerum tonorum producere valentis.

§. 12.

Vix operae pretium foret plurimorum recentiorum physiologorum eadem de re opiniones hic recensere. Audiamus tamen eorum facile principem, celeb: Hal-
C lerum.

lerum. Hujus sententiam in sequentes theses , retentis
fcre ejus verbis , contraho . a) Aër ex pulmonibus
per asperam arteriam , in laryngem , inde per glotti-
dem in os varie figuratum expressus , vocem , loqueland
et cantum efficit . b) Vox unice nascitur , quando aër
per contractam glottidem ita velociter expellitur , ut
illidat in ligamenta glottidis , adeoque larynx in tre-
morem cieatur , quem reddit contremiscens ex elatere ,
et auget . c) Ex tremore ligamentorum et cartilaginum
laryngis sonus oritur , quem vocem vocamus . d) To-
num acutum angusta et tensa , gravem laxa et dilatata
glottis efficit . e) Pro acutis producendis larynx attolli-
tur , pro gravibus deprimitur . f) Experimenta a clari-
ris viris repetita docent , ligamentis glottidis tensis ,
aëre in tracheam inflato , produci animalis cuiusque
sonum , et magis tensis , acutorem , minus tensis gra-
viorem . g) Ergo diversa tensio glottidis plus facit ad
diversitatem toni , quam diversa diameter vel apertura .
h) Loquela fit larynge quiescente .

§. 13.

Inter pueros notum est , fistulam musicam pasto-
ritiam parari posse ex arundine , a dimidia peripheria
cylindri lignum ad membranam usque internam aufe-
rendo . Cum arteria aspera in posteriori sua parte
membranacea , in anteriori cartilaginea , adeoque ejus
modi arundini musicæ non parum similis sit ; miror ,
neminem in istam hypothesis incedisse , musicam huma-
nam



nam huic parti membranaceae deberi. Ejus autor saltem instrumentum ipsi analogum pro illustratione ad manus habuisse, quod nemo praecedentium offerre potest. Interim III: Hallerus suam vocis theoriam partim ex Cl. Dodarti, partim ex Cl. Ferreinii hypothesisibus composuit, sed simul monuit, experimentis Ferreinianis, in quibus aër per tracheam humanam trajectus, glottidem commovendo, vocem humanae similem edidit, non omnes Academicos testimonium dedisse, neque sibimet ipsi idem experimentum successisse. Praeterea omnibus instrumentorum musicorum, flatu incitandorum, peritis notissimum est, flatum in tubum qualemcumque immisum et per ejus extremitatem glottidis instar coarctatam exeuntem nunquam alium sonum edere, quam sibilum. Cum vero flatus per angustam rimam vel exiguum foramen in tubum ampliorem immittitur, tum omnino sonos et tonos producere licet, cuius rei cornua musica testes sunt. Hujus incitationis modi consideratio modum mihi monstravit, quomodo Ferreiniana experientia fallacia esse potuerint sine auctoris culpa vel intentione. Cl: enim Ferrein commoda inflationis gratia inferiori tracheae aperturae immisit tubum, cuius apertura $4 - 5''$ aequat. Hoc modo vero simile orificium tracheae praefigitur illi, quod cornibus musicis praefigitur. Flatu forti itaque per illud tracheae immisso, trachea resonabit instar cornu, quatenus tubus est, non vero quatenus glottide terminatur, licet haec tremores inde concipiat, et sonum modifacet, quatenus simul oscillat, et aperturam tubi plus minusve coarctat. Ita quoque

glottis illa artificialis, quae instrumentis Hautbois et Faggot dictis praefigitur, per se etiam sonum et tonum edit, per rimam angustam inflata, nullum vero, si flatus ab altera parte, ubi foramen cylindricum amplius adest, immittitur. Quisque de veritate hujus assertionis semetipsum facile convincere potest, experimentum faciendo. Hac vero concessa, nec Dodarti, nec Ferreinii hypotheses, nisi aliqua correctio alterutri accesserit, pro valde probabilibus, et per experimenta minus suspecta corroboratis, haberi possunt. Praeterea glottidis verae ligamenta vel labia nunquam chordas musicas repraesentare possunt, quas affrictus aëris ex pulmonibus expulsi adeo sonoras reddere valeret, ut sonus ille instar vocis humanae longe lateque audiri posset. Ventus enim vehementissimus chordas musicas tensas feriens, gratum quidem susurrum musicum, nunquam vero tonum clarum, qui per modicum intervallum audiri possit, excitabit; nec corda datur ulla 8 vel 10 lineas longa, quae, diversa licet tensione ejus adhibita, tonos duarum octavarum, a c' incipiendo et ad c' progrediendo, successive reddere valeat. Adeo brevis enim corda intestinalis vel membranacea, cuius crassities crassitici ligamentorum glottidis aequalis esset, utcunque tensa, tonos quidem nonnullos acutissimos, sed a nemine distinguendos, ederet. Tentando enim inveni, talem chordam intestinalem, sed 12 pollices longam, successive intensam, incipere a tono c' sonum et tonum distinctum edere, et tum valde adhuc laxa est corda. Hac longitudine divisa per 10 lineas, quotiens 14 indicat, quoties

quoties 4 pedes bisecari debeant, ut longitudo fistulae habeatur, quae eundem edit tonum, quem chorda talis 10 lineas longa, et haec est = $\frac{1}{400}$ pedis. Si duplo tenuior chorda pro norma sumatur, longitudo fistulae aequalis denuo bisecatur. Transeo itaque tonos ex majori tensione resultantes. Si facetis comparationibus vel similibus res expediri posset; ego glottidem veram cum larynge potius pro tympano declararem, cuius membrana bisecta est. Sed, ut verum fatear, neque talis membranula, plus minusve tensa, statu vel bacillo impulsa, tonum edere valeret, ab ullo musico distinguendum. Talem vero membranulam tubo tracheae instar valvulae inservire posse, qua aér egrediens in undas sonoras simili modo, quo id in glottide artificiali vocis humanae organorum pneumaticorum fit, separatur, non alia laborat difficultate, nisi ea, quae ex dispositione ejus dissimili resultat. Quam primum itaque glottis artificialis construi poterit, sub simili dispositione tonum clarum et distinctum edere valens, omnis difficultas in genesi vocis inde explicanda evanescet. Ceteroquin enim exigua portio membranae pergameneae, vel corticis tenuis arborum, laryngi vocis humanae artificiali imposita, huic pro valvula sine ulla difficultate inservire potest. Huic enim negotio exigua longitudo et elasticitas sufficiunt, chordae vero sonorae inde construendae nullatenus. Quem, quaeso, tonum ederet lamella vel valvula ista aenea in ejusmodi voce humana artificiali usitata, si instar chordae tenderetur? Vix ullum sane ab ullo musico distin-

guendum et per intervalum 20 passuum audiendum! tanquam valvula autem adhibita tonum aures laeden- tem producere valet. Haec argumenta ni fallor, quem- vis mechanicae partis musicae peritum convincent, Cl: Ferreinii chordas musicas glottidis humanae esse nil nisi facetum ingenii lusum. Si cui adhuc dubium restiterit, is, quaeso, tentet, num ex fascia pergame- na, 10 lineas inter ponticulos longa, 5 lineas lata, chordam sonoram sub ulla tensione obtinere queat.

His perpensis ego quidem opinor, vocales a, e, o, praecipue per vibrationes epiglottidis intra limbum glottidis externae dilatum formari, sed ad formatio- nem vocalium i et u glottidem internam maximam partem conferre. Objectionem illam, quam patroni praecedentium hypothesum ab absentia epiglottidis in volucribus, nihilominus suaviter canentibus, contra nostram derivare possent, non magni momenti existimo, siquidem in infima tracheae volucrium parte singularis plane glottidis species haeret, ab Ill: Hallero elegan- ter descripta et gingrinae (Schnarrwerck) simillima. Non mirum itaque est, talem tracheam absque epiglottide voci edendae esse aptam. Quomodo pariter trachea humana absque epiglottide in experimentis Ferreinianis vocem edi- derit, in praecedentibus indicavi. Neque dubito, me magis completam genesis vocis humanae ideam tradere et in- strumentum sonorum ipsi in totum simile construere posse, quam primum denuo laryngem humanum recenter ex- sectum accuratius inspiciendi mihi fuerit occasio. Ante enim

enim hos triginta sex annos ultima vice eum inspexi,
et tum quidem glottis interna non nisi sub nomine li-
gamentorum extra Galliam erat nota.

§. 14.

Si itaque flatus ex arteria aspera per glottidem
humanam tensam vel coarctatam transiens sola glotti-
dis virtute nec sonum nec tonum producere valet;
alia condenda erit theoria, cuius possibilis et con-
venientia tam ex constructione laryngis, quam ex
effectu similium instrumentorum musicorum demonstra-
ri potest, tum enim in tali casu, ubi ocularis obser-
vatio modificationis instrumenti naturalis locum non
habet, sumnum probabilitatis gradum attingimus; prä-
cipue si ejusmodi simili instrumento musico loquela
humanam, si non in totum, tamen in tantum imitari
valemus, ut nil nisi artificialis lingua, quae functiones
naturalis subire possit, difficillime construenda, et ven-
tus aequa validus, ac ventus ex thorace emissus est,
ad completam imitationem difficillime obtinendus, et
procul dubio etiam perfectior imitatio utriusque glotti-
dis deficere videatur. Secundum rigorem logicum qui-
dem negari nequit, unius effectus plures esse posse cau-
fas, et a similitudine effectuum ad similitudinem instru-
mentorum consequentiam non valere. Ita enim fistula
organi pneumatici, Viola di gamba dicta, similem edens
sonum sono instrumenti chordis instructi hujus nomi-
nis, propterea non similiter chordis instructa est, simili-
modo ad sonum excitandis, nisi forsitan columnae aëreae

in fistula contentae illud nomen concedere velimus; sed hujus incitationis modus tamen longe ab alio differt. Nos vero hoc loco non solum ad similitudinem effectus, sed quoque ad similitudinem utriusque instrumenti naturalis et artificialis provocavimus, cuius constructio sequentem in modum adornanda est.

§. 15.

Tab. I. Fiat tubus A B. Fig. 1. ex metallo vel ebore quantumvis longus, diametri 9", capite cavo B C D. quasi larynge instructus, cuius orificium C D. ad C glottidis externae instar parum coarctatum sit, oppositi vero lateris limbus D in planitatem abeat, ita ut sectio aperturae C D, in parabolam E h F. Fig. 2. abeat, cuius axis k h lineae k h. Fig. 1. respondeat. Haec apertura instruatur epiglottide metallica, eburnea, cornnea, prout placuerit, ita tamen laryngi in latere plano D jungenda, ut in junctura vi elastica gaudeat, vel ipsi materiae epiglottidis debita, vel exterius applicata. Praeterea haec epiglottis orificio bene quadrare debet, ita tamen, ut inflexa sine frictione per illud ascendere et descendere possit. Huic epiglottidi in statu quietis mediante elatere concilietur situs k h, ita, ut ad dimidiam circiter lineam infra marginem D demersa sit. Tum inflato tubo A B aër epiglottidem in motum oscillatorium per arculum *hi* concitabit, et inde in undas separatus sonoras, sonum et tonum voci humanae similem excitabit. Tonus a gradu elasticitatis juncturæ in

in k. et a massa epiglottidis dependebit, ad quem gradum etiam depressionis quantitas C h conformanda est. Tale instrumentum machinam vocalium ad Academiam transmittendam comitabitur, ut realitas similitudinis experimento confirmari possit.

§. 16.

Ut de similitudine inter hoc artificiale et naturale princeps loquelae organum melius constet, ex anatomica hujus descriptione in memoriam revocemus, glottidem, vel potius ejus limbum, et latera laryngis, 4 paribus muscularum dilatari et 3 paribus pro necessitate et lubitu coarctari. Deinde epiglottis teste Hallero a musculis thyreoarytaenoideis et aryarytaenoideis fibras musculares accipit, quibus in motum oscillatorium concitari potest; praeterea epiglottis cartilagine elastica cum anteriori margine laryngis cohaeret, et ipsa est elastica cartilago. Si itaque loquendum nobis est, limbus glottidis illis muscularis dilatatus epiglottidi spatium conveniens concedit, ut illa, suis fibrillis muscularibus plus minus tensa et elastica facta, velocius aut lentius per istud orificium alternatim per exiguum intervallum ascendat et descendat, h. e. vibrationes concipiatur, tono edendo debitas. His vibrationibus aër expulsus in undas separatus in aëre externo eundem sonum vel tonum propagabit. Haec genesis vocis explicatio nulla plane laborat difficultate, nec difficile foret, tracheam recentem in tali dispositione ita exsiccare, ut deinde flatu immisso sonum et tonum edat.

D

§. 17.



§ 17.

Licet in quaestione proposita non desideretur tonorum, sed vocalium genesis; posterior tamen a genesis tonorum plane dependet. Non enim licet pronunciare ullam vocalem, nisi sub tono quodam, qui in loquela ordinaria plerumque est quinta toni gravissimi, quem edere valemus, e. g. in adultis c vel d fistulae bipedalis. Quomodo deinde tonus ille in singulas vocales mutetur, jam §. 9. ostendimus. Nihil nunc amplius supereft in vocalium theoria exponenda, nisi ut periculum faciamus explicandi, quomodo sonus singulorum vocalium per aërem propagatus inter se differat, ita, ut ille ad aures delatus ideas diversas, singulis convenientes, in anima excitare possit.

§ 18.

Colores diversos cognoscimus ex vibrationibus diversae celeritatis in nervis oculorum productis. Tonomrum diversitatem ex celeritate vibrationum nervi auditorii dijudicamus. Vocalium differentia itaque in vibrationibus diversae celeritatis non poterit quaeri, illae enim sub omnibus tonis, quos homo edere valet, enunciari possunt. Quantum ego quidem perspicio, in undis sonoris quadruplicem varietas locum habere potest, scilicet: 1) respectu celeritatis compressionis et dilatationis alternae, i. e. vibrationis certae portionis aëris, quae singulas undas constituit. Inde tonus determina-

terminatur. 2) Respectu spatii, per quod singulae istae aëris portiones alternatim comprimuntur et dilatantur i. e. intervalli singularum undarum. 3) Respectu figurae, quam divergentes ex fonte suo undae sonorae adeptae sunt, et sub qua ad aures usque propagantur. Dubitari enim nequit, aliam undarum esse figuram et divergentiam, si aér sonorus per labia coarctata immittitur, quam si idem ex ore hiante, quasi ex tuba prodit, vel rimam longam sed angustam inter linguam et palatum transire cogitur. In posteriori casu enim tam singulae, quam omnes simul undae figuram habere videntur conoidis, cuius basis non circulus, sed angusta et longa ellipsis est, apex vero in glottide haeret. 4) Denique et quarta varietas undarum vocis ex mutua intersectione partium undae sonorae oriri potest. Notum enim est, subsidio speculorum causticorum sonum ex foco speculi divergentem in directione parallela per longum spatum propagari posse. Sed simul in tali experimento demonstrari potest, duos vel plures ejusmodi cylindros sonoros se sub variis angulis sine ulla confusione aut impedimento intersecare posse, eodem modo, quo in radiis lucis hoc fieri potest. Immo si echo resonat, radii redeuntes transeunt abeuntes, sine ulla permixtione et confusione. Sequitur itaque, conoidis sonori ex ore egredientis partes, prout ab interna oris cavitate secundum varias directiones reflexae fuerint, se similiter sub variis directionibus intersecare et divergere, unde similiter singularis vocis modificatio ut oriatur necesse est. Accurate enim at-

tendens ad genesin singularium specierum sonorum, quae in fistulis ejusdem quidem longitudinis, sed diverso modo ad sonum edendum incitatis, oriuntur, inveni illam differentiam partim figurae columnae aëreae vel tubi, partim rationi vel modo intersectionis venti inmissi deberi, e. g. singularis ista species soni, quem fistula dulcis (flute douce) edit, debetur partim figurae fere cylindricae tubi, partim aëri ex rima orificii egredienti, cuius radii se sub angulis acutis intersecant, et in motum tremulum se mutuo concitant. Hic motus tremulus in orificio tubi inter labium et rimam cum columna aërea in tubo contenta communicatus tonum excitat longitudini columnae, sonum vero partim ejus figurae, partim figurae undarum in illa excitatarum debitum. Adhibetur enim idem tubus, sed columna aërea contenta eo modo, quo in fistula transversa (flute traversiere) id fit, sonora reddatur; alia plane species soni, licet idem tonus, inde resultabit. In fistula transversa enim ad sonum excitanda radiorum aëreorum altera pars reflexionem a labio hominis vel a superficie fistulae circa foramen ori obversum subire debet, antequam alteram radiorum, foramen intrantium, partem cruciatim secat et in motum tremulum concitat. Inde, et ab angustia foraminis, per quod communicatio motus tremuli fit, hujus soni a praecedenti diversitas. Adhibetur nunc idem inflationis vel incitationis modus, qui in fistula dulci adhibetur, sed tubo forma detur coni truncati, cuius angustior basis orificium fistulae respicit, sonus inde productus stridentem sonum chordae inter-

intestinalis arcu crinito affictae aemulabitur. Ex variis ejusmodi experimentis dubio procul constat, tam figura tubi, quam incitationis modo soni indolem sensibiliter mutari, quia undae sonorae inde per aërem propagatae varium intervallum, variam formam et varias intersectiones accipiunt, licet omnes simul sub forma conoidum ex fonte soni divergant. Quod sonus etiam pone loquentem, licet debilius audiri possit, reflexioni quorundam radiorum soni ab irregulari terrae superficie, a pavimento, a parietibus vel vaporibus aqueis in aëre haerentibus debetur. Nubes enim ad sonum reflectendum aptas esse, tonitru docet.

§ 19.

Intervalla undarum ad formandas vocales nihil conferre posse, ex sequentibus liquet. Propagato scilicet sono per qualemque spatiū, intervallum pulsuum vel in ratione auctae massae aëreae in motum oscillatorium concitatae decrescit, vel idem manet. In utraque hypothesi obscuri quid latet, quod illustratione indiget. Posito enim in priori hypothesi, tonum C' campanae instar superficie sphaerae crescentis quaquaversus per radium 1100' uno minuto secundo diffundi; sequitur, sphaeram huic radio debitam in 120 partes aequales esse dividendam (quia ille tonus totidem eodem tempore vibrationes absolvit), ut motus iste singulis partibus 120^{mis} minuti secundi per aequalem aëris massam propagetur. Hoc vero fieri nequit, nisi intervallum

undae primae et secundae fuerit = 223 pedum, et intervallum 119^{nae} et 120^{nae} undae = 3 pedum. Inde sequeretur, sonum aequali tempore per inaequalia spatia propagari, quod contra experientiam est. Altera hypothesi recepta intervallum singularum undarum pro tono C' erit 9 ped. et sonus hoc modo quidem aequali tempore aequalia spatia percurret, sed difficile est concipere, quomodo 1) ille motus, aërem per intervallum 9 pedum alternatim comprimens et relaxans cum ingenti massa aërea, sine ulla imminutione celeritatis originalis, communicari queat; 2) quomodo sonus in ratione inversa quadr. dist. debilitetur, si intervallum pulsuum semper idem manet, et massa mota potius augetur, quam minuitur. Quia vero ex conditionibus utriusque hypotheseos elucescit, datum intervallum undarum aequale vel inaequale dato tono, non sono generaliter vel vocali cuidam deberi; examen harum difficultatum, quippe a nostro scopo alienum, sagacioribus ingeniiis relinquo.

§ 20.

Non nisi duplex itaque restat differentia aëris sonori, unde idea vocalium singularum in anima intermedio nervo acustico excitari potest, scilicet figura conoidis sonori et ejusdem intestinae intersectiones. Ambas variationes ut tympanum auris cum nervo auditorio communicare possit, necesse est; alioquin enim non liquet, unde differentia perceptionis resultare possit.

In

In consonantibus quidem enunciatis alia ad haec accedit differentia, praevia scilicet compressio aëris in ore modo intra dentes, modo intra labia, quae differentia tamen in vocalibus non occurrit. Posito itaque, quamlibet undam sonoram in egressu ex ore induere figuram conoidis, cuius apex haeret in glottide, et cuius sectiones ad axim perpendiculares similem habent figuram illi aperturae inter linguam et palatum, inter dentes, inter labia, per quam vocalis enunciata exiit; sequitur, cujuslibet vocalis characterem desideratum sequenti modo describi posse, scilicet:

1. Vocalis A idea in nobis oritur, si conoides sonorum in tympanum agit, cuius sectiones ad axin perpendiculares ellipses fistunt, in quibus ratio axis minoris ad axin majorem est ut 5 ad 18. (§. 9.) Proprie quidem loco ellipsoes area ex duobus segmentis circuli composita substitui deberet, sed differentia est exigua. Hoc conoides intersecatur a simili conoide, cuius basis sectioni toti cavitatis oris inter buccas, linguam et palatum aequalis et similis est, cuius apex vero ab ore circiter 6 pollices distat, et qui inde in aliun conum similem abit, cuius apex apicem prioris tangit.

2. Alterius vocalis E perceptio debetur conoidi, cuius sectiones transversales ellipses fistunt, quarum axes rationem habent, ut 2 ad 9. Hoc conoides trajicitur ab alio conoide ipsi simili, cuius basis in cavitate

vitate oris , apex in distantia 6 pollicum ab ore haeret &c.

3. Tertiae vocalis I sensatio debetur conoidi, cuius sectiones transversales sunt ellipses , in quibus axium ratio est, ut 1: 9. quod simili cono sed inverso intersecatur , cuius basis in sectione cavitatis oris internae haeret.

4. Quartae vocalis O perceptio debetur conoidi , cuius sectiones transversales sunt ellipses , quarum axium ratio est ut 7: 16. Conoides simile inversum , quo intersecatur praecedens , apicem ad pollicis intervallum extra labia habet &c.

5. Quintae vocalis U perceptio debetur conoidi sonoro , cuius sectiones transversales sunt ellipses , in quibus axium ratio est ut 1: 2. Apex conoidis inversi similis, praecedentem permeans , proxime extra labia haeret, et inde simile conoides exsurgit sub eodem angulo divergens , sub quo praecedens convergebat.

Hae proportiones non pro rigorosis habendae sunt, diversi enim homines vocales diversa elegantia et praecisione enunciant. Praeterea ad vocalem I formandam larynx singulari quadam sua conformatio non exiguum partem conferre videtur , sed quaenam illa sit conformatio , oculos aliquosque nostros sensus haec tenus effugit.

P A R S

P A R S S E C U N D A.

De

Construendis fistulis, vocales a, e, i, o, u,
enunciantibus.

§ 21.

Cum ille ordo fistularum vel tibiarum, qui in organis pneumaticis nomen vocis humanae adeptus est, rarissime elegantem vocem humanam, sed potius vocem agninam plerumque edat, cuius balatus fistula dulci vel principali conjuncta suppressus aut corrigendus est, et paeterea ad levissimas aëris mutationes tonos suos mutet, adeoque toties, quoties ejus usus desideratur, nova correctione tonorum indigeat; spero, Illustri Academiae Impériali non ingratam fore novi mei inventi oblationem, quo non solum balatus iste auferatur, et vox humana elegantior redditur, sed quoque tonus multo stabilior obtinetur. Ut antiqui et novi mechanismi partes distincte describere liceat, secundum analogiam ejus cum organo loquelae humano nomina anatomica in hoc usitata etiam partibus organi loquelae artificialis imponere volumus, siquidem nec graeci nec latini terminos technicos illis debitos habent.

§. 22.

Usitatum vocis humanae organum constat ex se- Tab. I.
micylindro metallico concavo ab ad a clauso; ad b Fig. 3. 4.
E aperto

aperto. Hunc laryngem adpellabimus, ejusque aper-
turam glottidem. Glottidi imponitur lamella tenuis
elastica cd ex aurichalco parata, in b arête laryngi
juncta, sed in a nonnihil hians, ita ut flatu admisso
glottidem instar valvulae exaëte claudat. Haec lamel-
la epiglottidis nomen meretur. Larynx cum epiglottide
immittitur circiter ad tertiam vel quartam partem lon-
gitudinis suae foramini cylindrico pedis lignei ee f g g h,
inque eo ope cunei semicylindrici firmatur. Per aliud
foraminulum in parte g h transit stylus ferreus vel
aeneus ita incurvatus, ut ipsius crus elasticum k epi-
glottidi innitatur. Hujus styli ope tonus instrumenti
acutior vel gravior redditur, prout vel versus a vel d
protruditur. Superiori majoris foraminis parti insistit
tuba plumbea vel stannea, quae quidem oris humani
cavitatem repraesentare debet, sed a diversis artificibus
diversam accipit formam. Vulgaris forma infundibu-

Tab. I. lum vel conum truncatum inversum sistit, cui tubus
Fig. 3. cylindricus parum altus adjungitur. Pes ligneus ef gh
 cum larynge immittitur ocreae ligneae m n o p,
 cuius inferior apertura foramini respondet cistae ane-
 mia, ita ut ventus per illud admissus ocream intrare
 et laryngem transiturus epiglottidem in motum oscilla-
 torium concitare possit. Primus enim venti impetus
 epiglottidem hiantem claudit, haec vero partim vi sua
 elastica, partim reflexione a limbo glottidis resilit, et
 celeritate accepta ultra statum suum quietis excurrit,
 sed hac vi consumta vi venti denuo clauditur &c. His
 alternis concussionibus et relaxationibus aër transiens in
 undas

undas sonoras dividitur, quarum extensio initialis ex data celeritate venti et numero oscillationum facile determinari posset, si operae pretium foret. Hae undae sonorae ex larynge in tubam adfixam incidentes inde vario modo et sub variis directionibus reflectuntur, et instar vocis hominum per tubam stentoream propagantur. Tuba ipsa inde in motum tremulum concitatur, quo aër illam ambiens pariter sonorus redditur. In tuba longiori etiam columnā aërea contenta in motum oscillatorium, altitudini et figurae suae proportionalem, concitatur, unde compositus oritur sonus et tonus, plus minusve gratus, prout tonus columnae aëreeae tono laryngis plus vel minus fuerit consonans.

§. 23.

Hanc constructionem non plane analogam esse organo loquelaे humanae, inde liquet, quia in illa ventus inverso modo elevata epiglottide laryngem et tracheam articialeм intrat, in hoc vero ventus ex trachea per laryngem et glottidem exit. Multum quidem operae impendi in hoc instrumento ita adornando, ut per tracheam et laryngem inflatum tonum edat, sed haec frustra. Praeterea haec laryngis artificialis species, propter reflexionem epiglottidis a margine glottidis metallico, stridentem, asperum et durum edit tonum, et quam primum metallum aeruginem contrahit, glottis non exakte clauditur, et tonus inde valde ingratus, impurus et instabilis oritur. Cuneus ligneus semicy-

lindricus, epiglottidem super glottide firmans, non raro hanc secundum longitudinem incurvat, et toni impuri et stertentis caufsa est.

§. 24.

Cum constructio hujus laryngis organopoeis familiaris et paullo facilior sit constructione novi laryngis a me inventi; paucis indicaturus sum, quo modo pleraque vitia antiqui evitari possint, quo facto ille nonnullis vocalibus satis bene enunciandis sufficiet. Scilicet: 1) Laryngis vel canalis semicylindrici illa pars, quae pedi ligneo infigitur, lamina aenea transversa tegenda, et intermedio stanno liquefacto (Schnellloth) ipsi firmiter et ita adjungenda est, ut ejus suprema pars in eodem praecise sit plano cum limbo glottidis; Tab. II. ita quidem cuneus ligneus epiglottidi impositus hanc Fig. 3. deorsum incurvare nequit. 2) Glottidis margo super cote ad planitiem reducta bene complanari et deinde super assere ligni durioris plano mediante terra tripolitana oleo humectata probe expoliri debet. Politura enim per plurimos annos impedit, quo minus humiditates margini inhaerere et aeruginem producere possint. 3) Idem fieri debet respectu inferioris lateris epiglottidis. 4) Epiglottidis curvatura ita adornata sit, ut ea vento pressa glottidem exalte et aequaliter claudat; haec cura vero exercitatum exposcit artificem. 5) Durities toni, reflexioni epiglottidis a metallo debita, emollitur, si limbis glottidis stanno, charta, corio vel

vel membrana pergamenta investitur, vel si ipse larynx ex stanno, ebore vel ligno, oleo impraegnato, elaboratur. 6) Elasticitas epiglottidis aeneae minuitur eam plus minusve calefaciendo, vel laminam ex cupro molli substituendo. Lamina eburnea aut ex osse palatino balaenae parata et substituta procul dubio vocem proprius ad humanam accendentem formaret, sed quo minus tales (in organis saltem pneumaticis templorum) commode adhiberi possint, earum nimia mutatio ab aëris humiditate et temperatura prohibet.

§. 25.

Ut duritatem vel asperitatem illam toni ex reflexione Tab. II. violenta valvulae glottidis, et imperfectionem ejus ex Fig 6.7.8. aerugine resultantem, plane evitarem, et organum loquiae artificiale naturali magis analogum redderem, rimam glottidis ita adornavi, ut epiglottidis maxima et extrema pars inter marginem glottidis exacte, praeter affrictum tamen, ascendere et descendere vel oscillare possit. Aliqua autem ejusdem pars stylo tonum temperanti subjecta margini glottidis eodem modo incumbit, ac in vulgari organo. Hoc modo tonus non solum temperari se sinit, sed etiam asperitatem suam exuit, et voci humanae multo magis adsimilatur. Ipsum etiam organum hoc modo organo naturali loquiae adeo analogum redditur, ut illud, pariter ac hoc, per tracheam inflatum, aëre ex larynge inter glottidem et epiglottidem excunte vocem humanae voci aemulam

E 3

edere

cdere possit, dummodo epiglottis ad situm reducatur, quem Fig. I. monstrat. Difficultas hujus constructionis prae vulgari in eo consistit, quod pars epiglottidis glottidem transiens huic rimae exakte quadrare debet, si elegantem tonum desideramus. Constantiae gratia epiglottidis alterum extremum intermedio stanno cum larynge consolidandum est; ne autem in hoc negotio altera extremitas, ex debito situ diuoveatur, ego lamellas ex auro leonino strepero (Flittergold) reseetas interponere soleo, ita quidem congruentiam exactam sine frictione obtineo. Quo latior ceteroquin epiglottis, et quo magis eadem elastica fuerit, eo fortior inde resultabit tonus. Hoc novum organum, pariter ac vulgare, sine tuba adjuncta edit diptonium ae, sed gratori modo, quam vulgare. Variis vero tubis ipsi applicatis, vocales a, e, o, u, ab eodem enunciantur.

§. 26.

Problema I.

Organon loquelae artificiale ita disponere, ut vocalem a pronunciet.

Tab. II. I) Si Larynx hujus organi vulgari modo con-
Fig. 9. 10. struetus fuerit, imponatur ipsi tuba conica plus minusve divergens, cuius amplior extremitas operculo tecta fuerit, in medio perforato. Foraminis amplitudo vi venti adhibendi, et tubi longitudo et divergentia inten-

intensioni vocis desideratae accommodetur. Ad puritatem toni obtinendam eo respiciendum est, ut aér in tuba comprehensus in motum sonorum concitatus, vel eundem, quem larynx, tonum, vel ejus quintam, vel octavam reddat.

2) Laryngi secundum meam inventionem constructo imponatur tuba conica inversa, cuius altitudo triplo vel duplo major diametro baseos, immo ipsi aequalis sit, prout & plus minusve apertum desideramus. Si submissa ejus enunciatio desideratur, tuba pariter, ut in praecedenti casu, operculo tegi, idque foramine ad lubitum amplio instrui potest. Juvat quoque ad elegantiam vocis, si extremitati apertae operculum non imponitur, sed tantum imminet, ita ut sonus post varias reflexiones intestinas inter tubam et operculum libere exire queat. Ad mollitiem vocis quoque confert, tubas chartaceas vel ligneas metallicas substituere, vel metallicas corio, linteo vel charta investire.

Quomodo hic adparatus nova modificatione soni accidente distinete pronunciare possit *Papi*, *Mama*, *Nana* &c. in schedula, quae machinam vocalium comitatur, ostenditur.

§. 27.

Problema. II.

Ut idem organon vocalem e pronunciet, efficere. Tab. II.

Laryngi ad meam methodum constructo imponatur tuba ex duobus conis parum truncatis, inferiori inverso

Fig. II.



inverso, superiori eretto, composita. In suprema extremitate truncata adsit foramen, digitum minorem circiter admittens. Coni utriusque altitudo diametrum baseos et 3 circiter pollices aequet, si scilicet tuba pro tono c' construenda est. Ita quidem vento admisso vocalis e pronunciabitur. Nova modificatione soni accedente eadem dispositio *Neb!* *neb!* *Oweb!* *Uweb!* &c. enunciare valet. Minus commodas methodos varias transeo.

§. 28.

Problema III.

Fistulam construere, quae vocalem i enunciat.

Tab. II. Ante decem et plures annos larynx mihi erat prae-
Fig. 12. cedenti similis, qui imposta singulari tuba et accidente quadam soni exeuntis modificatione *Ja!* *Ja!* adeoque etiam i pronunciare valebat. Sed ex eo tempore aliis negotiis distractus, et hoc artificium negligere coactus nunc conditiones hujus dispositionis frustra in memoriam revocare studui et plurima tentamina ad restituendam illam instituta, irrita fuere, nec certus amplius sum, num illa pristina dispositione, i per se, vel simpliciter pronunciari potuerit. Ratio difficultatis me quidem non latet. Follis enim humanus vim habet Mercurium ad 5 polices, aquam ad 68 pollices elevandi, folles vero maxi- mi organorum pneumaticorum majorum aquam in anemometro non ultra 4 pollices Rhenanoslevant, adeoque vis venti in his 17 vicibus minor est vi venti fol- lis

lis humani. Haec conditio fundamentum est assertio-
nis Illius paradoxae, puerum follem maximun 80 vel
100 libr. onustum flatu suo elevare posse. Ut tanta vis
venti ope follis artificialis producatur, necesse est, ejus
tabulam superiorem onerari 1400 lbr. si ejus supèr-
ficies, ut solet, 8 pedes quadratos aequat. Tantum
onus vero follis corio munitus non sustinet, vel si id
sustinet, is quovis fere momento subsidet, aëre ubivis
per poros exitum quaerente. Inde praecipuum oritur
impedimentum, quominus organum nostrum artifia-
le loquelae vocalem i pronunciare possit. Quam pri-
mum enim aëri sonoro, ex tuba huic organo imposita
exituro, non nisi angustam rimam pro exitu concedi-
mus, huic vocali debitam; organon filet, flumine aë-
ris, scilicet per se debili, jam nimium debilitato, ita
ut epiglottidem commovere non amplius valeat.

Ne vero respectu huius vocalis lacuna in artificio
nostro relinquatur, aliam tibiae speciem inveni, quae
satis distinete hanc vocalem enunciat. En ejus con-
structionem.

Ex cista anemia prodeat tubus ejus amplitudinis,
ut calatum scriptorium admittere possit; huius supe-
rior extremitas molliter incurvata in rimam definat ho-
rizontalem. Proxime ad hanc rimam insistat tuba ex
duobus conis composita, similis isti, quam pro enun-
ciatione vocalis e adhibuimus, ita quidem provide fir-
mata, ut ventus orificium ejus praeteriens aërem con-

tentum eodem modo in motum sonorum concitet, quo fistulae transversae sonus producitur. Orificium illud ad eam amplitudinem reducatur, ut massa aërea contenta non tonum sibi proprium, sed ejus octavam acutorem edat. Ita quidem vento valido accedente, et altera extremitate aperta, vocalis i audietur; hac vero clausa i in e Tab II. mutabitur. Alternā obturazione et reseratione apertu-
Fig. 12. rae vib vob! enunciatur.

§ 29.

Problema IV.

Fig. 13. Organon loquelae artificiale ita disponere, ut vocalem o enunciet.

Huic intentioni tam antiqua quam nova vox humana artificialis sequenti modo satisfacere potest.

I. Organo adjungatur tuba conica inversa, superiorius operculo perforato tecta (§. 26. n. I.) diameter baseos sit ad altitudinem ut 1: 5 foramen sit $\frac{1}{3}$ ejus diametri. Huic tubae imponatur pileus ligneus cylindricus, aequo altus, cuius diameter sit ad diametrum maximam tubae ut 3 ad 2, ita quidem, ut extremitas tubae ipsi ad dimidium profunditatis suae immergatur. Sonus ex pileo reflexus et angustiam inter pileum et tubam transiens induit figuram vocali o debitam eamque distinete auribus sistit. Ex pileo simili sed metallico reflexus sonus vix pro o haberi potest.

2. Laryngi artificiali adjungatur tuba pyramidalis quadrata lignea, cuius altitudo parum superet latus baseos. Huic manus cava, vel ipsi simile operculum, ita imponatur, ut non nisi exiguum triangulum in uno angularum apertum restet, ita quidem sonus ex hoc foramine exiens ideam vocalis o in anima nostra excitat.

In hac adornatione id mihi mirum videtur, quod foramen in medio operculi aequum magnum, vel operculum planum et laevigatum non eundem effectum praestare valeat, ac cavum et molle.

3. Laryngi imponatur tuba conica inversa, operculata, cuius altitudo diametro baseos aequalis sit. In operculi medio sit foramen, digitum minorem admittens. Operculo imponatur orbis ligneus, in medio foramine pollicari pertusus, tubum ligneum cylindricum aequum amplum, 3" cinciter altum, et in extremitate clausum gerens, ita ut apertura hujus pilei foramini operculi respondeat. Inter pileum ponantur 3 festucae, quae pilei basin ab operculo vix ad quartam lineae partem vel in tantum removent, ut sonus ex pilco reflexus per illam angustiam transiens vocalem o auribus exhibeat. Hoc intervallo invento pileus in eo situ firmandus est.

4. Foramini praecedentis tubae operculatae impo-

natur nova tuba conica inversa, sed minus divergens.

F 2

Hujus



Hujus aperturae imponatur operculum, rimam ad marginem tubae relinquens; ita quidem minori difficultate obtinebitur vocalis o, quam methodo 2^{da}, sed validiori vento opus est.

§ 30.

Problema V.

Ut idem organon vocalem u pronunciet, efficere.

Tab. II. In quatuor praecedentibus dispositionibus, apertu-
Fig 14. ra illa, quae sonum pro vocali o formanda transmittit,
ad dimidium minuatur, ita quidem o in u mutabitur.

Hujus vocalis formatio multo minori quidem, simili tamen difficultate illi, qua vocalis i, premitur. Ut enim o in u abeat, rima jam antea satis angusta nunc magis contrahenda est, unde vel obscurus redditur sonus, vel organum plane ad silentium redigitur. Vento itaque valido ad hujus vocalis claram enunciacionem obtainendam opus est.

§. 31.

Ex praemissis liquet organopoeos exercitatos labore non difficii efficere posse, ut vox humana organorum pneumaticorum vocales a, e, o, distincte pronunciet. Videtur itaque hunc ordinem tibiarum excellentem et insolitum effectum praestitum fore, si e. g. tonus c exhib-

exhibeat vocalem a, tonus d vocalem e, tonus e vocalem o, tonus fis denuo vocalem a &c. et melodiam in cantu (discant) simplicibus tonis exprimatur, quam bassus ex alio ordine, vel fistulae dulcis, vel transversae, vel Violae di Gamba, comitari posset, ita enim procul dubio cantus voci humanae simillimus sub illa variatione audietur. Experientia enim docet, nos in loquela e longinquo veniente consonantes parum, multo melius vero vocales intelligere, et ex ordine, quo haesce invicem sequuntur, nos consonantes interpositas dividare, procul dubio, quia modificatio aëris sonori in consonantibus facilius perit, quam in vocalibus. Immo repetitio loquelae, quam echo praestat, potius esse solet repetitio vocalium, quam consonantium. In musica vero modo proposita nec quintae nec tertiae &c. in cantu conjungendae forent, quae aliam vocalem edunt, ne ingratae diphthongi ae, oe, ao, oriantur.

§ 32.


Ut Illustris Academia Imperialis de realitate hujus artificii ex autopsia & *αντανοη* judicare possit, exiguum organon pneumaticum vocalibus enunciandis adaptatum ad proximum misi portum, ut trans mare Petropolin deferatur et Ipsi tradatur. Num vero mandatarius meus hoc anni tempore navem convenire possit, eo iter facientem, valde dubito. Spero tamen Illustrem Academiam ejus retardationem eo facilius excusare, quo minus problema propositum ejusmodi organi transmissionem.

sionem et oblationem injungit. Finita hyeme, nisi ci-
tius, illud certe, nisi naufragio perierit, Illustri Aca-
demiae tradetur. (*)

Lemma Auctoris.

Plus ultra.

(*) Organum hoc Auctoris pneumaticum ad Academiam justo tem-
pore et salvum pervenit.



Explicatio Figurarum:

- Tab. I. Fig. 1. Aspera arteria perpendicularis.
Fig. 2. Aspera arteria artificialis, vocalibus a,
e, o, u, enunciandis apta.
Fig. 3. Vox humana vulgaris organorum pneu-
maticorum.
Fig. 4. Larynx vocis humanae vulgaris.
- Tab. II. Fig. 5. Idem larynx ab Auctore emendatus.
Fig. 6. Laryngis sectio longitudinalis.
Fig. 7. Ejusdem sectio transversalis.
Fig. 8. Ejusdem facies superior.
a. b. Canalis paulo plus, quam semi-
cylindricus.
c. d. Epiglottis.
c. e. Ejus pars libera, inter glottidem
oscillans.
e. f. Ejus pars labiis glottidis h h in-
cumbens, correctioni toni inser-
viens.
f. d. Ejus pars cum larynge consoli-
data.
g. Corrector toni.
- Fig. 9. 10. Tuba pro vocali a.
Fig. 11. — pro vocali e.
Fig. 12. — pro vocali i.
Fig. 13. — pro vocali o.
Fig. 14. — pro vocalibus o et u.

28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
999
1000

Ad Dissert de Genesi vocalium

Fig. 5.



Fig. 9.



Fig. 10.



Fig. 6.




Fig. 8.





Fig. 11.




Fig. 14.




Fig. 13.





Fig. 12.



ad Dissert de Genesi vocalium

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 4.

